

Centuria
THESIUM MEDICARUM
De
IN CUBO,

Quam
Deo Optimo Maximo
Directore,

IN ELECTORALI WITTEBERGENSI
SUB PRÆSIDIO
RECTORIS MAGNIFICI
Amplissimi, Excellentissimi & Experientissimi VIRI

Dn. DANIELIS SENNERTI,
Philos. & Medic. Doctoris, Facultatis Medic. P. P.

ejusdemq; Collegii Senioris, nec non Serenissimi Electoris
Saxoniae Medici ordinarii, Dn. Præceptoris ac Pro-
motoris sui omni observantiae cultu
honorandi,

In Atrio Medicorum ad diem 17. Febr.

Horis consuetis

*Publico examini, placideq; disquisitioni
submittit*

DAVID HENNINGUS
Fraustad. Siles.



WITTEBERGÆ,

Pathol. spec. edum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX,

509,62

marb. junc 1930



Σω Θεῶ.

Præloquium.



Oëtarum ille Princeps HOMERUS oculis quidem captus, sed mente perspicacissimus, inter alia figmenta sua refert Iphimediam à Neptuno compressam, duos filios, Otum nempe & EPHIALTEN peperisse, qui intra novem annos in tantam excreverint molem, ut longitudinem novem ulnarum, & latitudinem totidem cubitorum æquarent; Unde etiam superos insolitâ illâ ætati huic magnitudine adeò perturbatos fuisse, ut ab amborum illorum incolumitate periculum sibi imminere crederent. Comuni ergò Deorum consilio, cum nondum pubertatis annos attigissent, & jam cœlo minarentur, per Apollinem Jovis filium, è medio sublatis & extirpati sunt. Quo figmento Homerum infensissimi illius mali, quod vulgò INCUBUM nominamus, truculentiam & pericula nobis adumbrare voluisse quidam præclarorum Virorum putant. Per illos enim filios à Neptuno & Iphimedeâ progeneratos, vapores ex cruditatibus & humoribus exhalantes intelligere videtur, qui nimium aucti microcosmicum cœlum petant, hujusq; incolis, sensibus, Phantasiæ, memoriæ & Intellectui minentur; Imò hos planè prosternant, nisi Sole calidi nativi exsplendescente fugentur, dissipentur, ac enecentur.

Odyss. λ.

A 2

Nem.

Nempè gravissimus est hic Incubi affectus, qui inter-
nitia parvi habitus, tandem pro causarum ratione in E-
pilepsiam, apoplexiam, maniam degenerat, totumq;
Microcosmum destruit ac desolatur. Operam ergo &
oleum me non perditurum confido, si præsentî hâc dif-
fertatione in sævissimi hujus Symptomatis naturam
DEO TER. OPT. MAX. Directore inquiram, & quæ cau-
sæ, quæ differentiæ, quæ signa hujus mali sint, quæ itidem
curatio huic debeatur pro ingenii modulo breviter ex-
ponam.

THESIS I.

CUM autem juxta *Galenum l. 1. M. M. cap. 5.* Principium
cujusvis disputationis rei nomen esse debeat, ambiguitas-
que nominis ad veritatis culmen contendentibus magnum sæ-
pissimè obstaculum præbeat, ne in eundem labyrinthum inci-
damus, Præceptoris nostri præceptum sequemur, & affectus no-
stri *Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam* quoque præmit-
temus.

Etymologia,

II. Et ut ab *Etymologia* ordiar, quidam Græcos malum
hoc ἐφιάλτην, à quodam ejusdem nominis Viro denominasse
putant, qui frequenter ingluviei deditus, graviter hoc morbo
correptus fuerit; hujusq; fuisse naturam ad accipienda respon-
sa perpetuò dormire; & huc *Virgilium l. 7. Æneid.* respexisse
credunt, dum canit:

*Pellibus incubuit stratis, somnosq; petivit
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturq; Deorum
Colloquio, atq; imis Acheronta affatur Avernis.*

III. Alii ab ἐφάλλεσθαι, id est insiliendo, derivant, quod
hoc malo petiti, aliquem sibi insilire, atque ab onere incum-
bente se premi somnient. Communiter ægritudo hæc Incubus
nuncupatur, ducto fortè nomine ex eo, quod inter falsas ima-
gina-

522
ginationes, quibus Ephialtici ducuntur, opinentur, hominem,
qui illos opprimit turpis libidinis usum ab eis exigere, seu unâ
simul concumbere. *Vidus Vid. l. 2. c. 19. de Curat. membratim.*

IV. *Homonymiam* quod attinet, Incubi vocabulum ab *Homonymia.*
autoribus sæpius pro spectris & Dæmonibus illis sumitur, qui
mortales credulas fictâ Venere sæpè fallunt, & mulierum cor-
pora malâ arte, quisquiliis, veteramentis, scrutis &c. replent,
quorum *August. l. 15. c. 23. de Civitate Dei, & Heurnius Tract. de mor-
bis capitis. c. 30.* mentionem faciunt.

V. Sed hæc vocis acceptio non medica est, nec ad Me-
dicum de affectibus præter naturam à naturalibus causis pro-
ductis sollicitum pertinent. In altera ergo significatione hic de
Incubo tractatio instituitur, prout nempè est symptoma facul-
tatis animalis læsæ & affectæ, à causis naturalibus prove-
niens.

VI. Tandem *Synonyma* quoque enumeranda veniunt, *synonymia.*
quibus hæc passio ab autoribus nominatur. Vocatur autem
à plerisq; ἐφιάλτης; quidam tamen & ὄπιαλτην, & ὄπιβολήν ap-
pellant. Themisoni πνιγαλίων & πνιγάμων; Dioscoridi πνιγ-
μὸς ἐν ὄπνι &c dicitur. Avicennas suâ linguâ Strangulatorem
nuncupat. Latini Incubum, Incubonem, nocturnam suffoca-
tionem nominant.

VII. Notatione nominis ita præmissâ, ad *definitionem*, *Definitio.*
seu *descriptionem rei* progredimur, hujusq; mali essentiam ita
describimus: *Incubus est actio læsa imaginatricis, motricis & sen-
tientis facultatis, quâ aliquis dum somnum ingressus est, respiratione
anxiâ, voce & motu corporis impeditus, ab aliquo incumbente onere
se premi putat, orta à vapore crasso posteriora potissimum cerebri ob-
struente, & Spirituum animalium influxum in organa corporis pro-
hibente.*

VIII. Nimirum omnes ferè actiones animales in Incu-
bo læduntur, & sua munia obire nequeunt. *Phantasie* enim
propter Spirituum animalium in thoracem & alia membra de-
negatum influxum; & hinc enatam immobilitatem, species
Spiritualis objecti gravis, beneficio nervorum sensoriorum of-
fertur,

fertur, quam quidem more solito à sensu communi suscipit, sed vaporibus perturbata in dijudicando fallitur, & pro vaporum conditione & natura falsa phantasmata profert.

IX. Si enim vapores pituitosi fuerint ab albo, si sanguinei à rubro, si melancholici à nigro objecto Ephialtici se premi somniant, & pro vaporis colore molem illam prementem coloratam esse imaginantur.

X. Deinde *facultas motrix* quoque afficitur. Nec enim manus suum officium facere, nec pedes destinatas sibi operas in movendo exequi valent; sed omnibus ferè membris vinculo quasi constrictis, præcordia quoque illis premuntur. Imò ob animalium Spirituum in cerebro retentionem, respiratione quoque laborant, & vocem inarticulatam, vel planè nullam edere possunt.

XI. Quod autem impeditum illum motum præcipuè in thorace percipiant, hoc fit ideo; quod reliquorum membrorum motus dormientibus non adeò necessarii sint. Homo enim ob respirationis maximam necessitatem thoracis motu nec in somno carere potest; ideoq; hoc læso, sensus gravitatis pectoris oritur, qui phantasiæ oblatu facit, ut æger ab externa aliqua violentia se suffocari credat. *Excell. Dn. Præses lib. 1. Pract. part. 2. cap. 29.*

XII. *Sentiendi* deniq; *facultati* torpor quoque inducitur. Non tamen hujus tanta læsio ac motricis potentia percipitur. Licet enim nervi sensorii & motorii ab eodem principio originem suam ducant, illudq; in hoc affectu à crasso vapore obstruatur, eadem tamen spirituum animalium copia, quam motrix vis requirit. Sentiendi facultas non indiget, sed longè minori contenta esse potest. Ad minorem enim actionem edendam, qualis hoc loco sensio est, minor quoque virtutis & spirituum copia sufficit. Ideoq; maximâ spirituum parte ad motum necessariorum in cerebro detentâ, nihilominus aliqui illorum, tactus muneri obeundo inservientes semper deferuntur, cum præsertim in hoc affectu non tanta angustia fiat, quæ omnem influxum inhibere possit.

13. Est

XIII. Est ergo Incubus Symptoma, & quidem plerumq; actionum animalium læsio, cujus descriptionem hactenus vidimus: ad *Subjectum* hujus mali jam quoque transeamus, & quæ pars hoc in affectu potissimum lædatur, inquiramus. *Subjectum.*

XIV. *Fernelius* Diaphragma & pulmones primario affici putat, & compressionem illam à pituita, aut melancholia circum præcordia inhærescente, & per crapulam & cruditatem turgescente oriri docet *l. 5. de partium morb. & sympt. c. 3.*

XV. Hunc sequitur *Platerus*, qui quoq; septum transversum, à vaporibus excrementorum, in venis mesaraicis majoribus cumulatorum, ad diaphragma exurgentibus & circa illud subsistentibus potissimum affici statuit *in praxi Med. tom. 1. lib. 2. cap. 4.*

XVI. Licet autem ista thoracis compressio aliquando hoc modo fieri possit; non tamen affectus hic semper a crapula & cruditate oritur; sed sine his ab aliis etiam causis nascitur. Imò cerebrum in hoc affectu præcipuè lædi, motrix illa vis respirationi, voci & reliquorum membrorum motui inserviens semper affecta testari potest. *Excellentiss. Dn. Præses l. 1. pract. part. 2. cap. 29.*

XVII. *Job. Marquardus in Pract. Med. morbor. intern. l. 2. c. 15.* aliam partem læsam ponit, & arterias à corde ad cerebrum adscendentes, spiritumq; vitalem eò deferentes affici & oppilari putat. Sed cum vasorum horum obstructio, propter eorum amplitudinem & spiritus vitalis in ipsis perpetuum motum in momento quasi vix fieri queat, ut *Excellentiss. Dn. Præses l. 2. Institut. part. 3. sect. 2. c. 6. de causis apoplexiæ docet*, nec hæc sententia in hoc affectu tam subitaneo locum habere potest.

XVIII. Statuimus ergo primarium mali hujus *Subjectum* posteriores Cerebri meatus, qui ad spinalem medullam tendunt. Unde & supino corpore cubantibus maximè hostis hic insidiatur. Sed non excludimus illam cerebri substantiam, in qua imaginatio sedem suam fixit; cum verisimile sit, nec hanc in Incubo intactam relinqui, sed à vapore pravo spiritibus sese miscente quoq; oppugnari.

29. Subj

Causa.

XIX. Subjecto ita indagato, causæ quoque considerandæ & inquirendæ veniunt; quas duplices hujus mali ponimus, *Internas & Externas*: illarum alia est continens, alia antecedens.

Continens
causa.

XX. Continentem Incubi causam quod attinet, dicimus hanc esse *Vaporem obstruentem*. Hic enim in meatus nervorum circa occiput illapsus, crassitie sua influxum spirituum animalium ad organa motus prohibet, & donec discutiatur, affectum hunc producit.

XXI. Et vaporem angustiam illam parere, mali hujus celerrimus accessus & recessus docere potest; quem motum humorum aliquis imitari non potest. Crassitiem quoque hujus, difficultas illa expurgandi demonstrat. Difficile enim densus ejusmodi vapor totus discuti potest. Quanquam nec inficias eamus, vaporem vi quadam narcoticâ præditum illam somni profunditatem inducere posse.

XXII. Communicatur autem vapor hic cerebro vel per *συνπαΐδαν*, vel per *ἰδιοπαΐδαν*. Per illam, ex præcordiis plerumq; elevatus cerebrum petit: per hanc interdum in ipso capite generatur, & Incubum producit.

Antecedentes
causa.

XXIII. De *Antecedente causa*, à quâ nempe vapor hic generatur & elevatur, jam quoque disquirendum. Dicimus autem cum *Alexandro Massaria* ab omni humore, præterquam à bile flava vaporem hunc originem trahere posse. Hæc enim cum mordendi vim habeat, ad faciendam obstructionem minus est accommodata. *Massarias l. 1. c. 20.*

XXIV. Itaq; vel à *pituita*, vel humore melancholico in hypochondriis & circa præcordia hærente, vel à *crassiore sanguine* in venis contento vapor hic enascitur, & ad caput elevatur. Imò & ex *semine crassiore* & à *vermibus* in pueris *via Duplaonis* hæc exspirare potest.

XXV. Generatur autem Vapor ille vel *ob errorem externum*, ob victum scilicet crassum & vaporosum: vel *à facultate* ob intemperiem frigidam capitis vel ventriculi. Si enim ob dictas causas horum organorum aliquod lædatur, plurima
excre-

525
excrementa, & vapores cumulabuntur, qui huic malo facile
ansam præbere poterunt.

XXVI. Causis internis absolutis, ad Externas sive proca-
tarcticas procedimus, quæ antecedentes enumeratas vel irrita-
re vel procreare possunt, in quarum numerum cum sex res non
naturales veniant, ordine eas, prout hunc affectum causare di-
cuntur, expendemus.

*Cause Proca-
tarctica.*

XXVII. Inter illas primum locum *Aer* sibi vindicat,
qui frigore suo nos afficere & ad hoc malum disponere valet.
Inspiratione enim attractus, excrementa cerebri tenuia post ter-
tiam concoctionem ibi relicta, incrassare & repellere, & sic pi-
tuitam producere potest.

XXVIII. Deinde *Victus* nimia quantitate, utendi modo
& tempore, tum *Qualitate* peccans huic symptomati quoq; ob-
noxios nos reddit. Si enim ventriculus nimia hujus copia ob-
ruatur, tum neq; claudi, neq; alimentum illud rectè complecti
valet; sed hiante illius ore, calor ejus sensim exhalat, & langui-
dior redditus nimia copia coquendæ non sufficit. Unde cibo
non benè concocto cruditates, & hinc magna halituum & va-
porum copia procreatur.

XXIX. Præterea utendi modus & tempus in assumendo
cibo & potu neglectum, idem causare potest. Priore enim cibo
nondum concocto, neq; ventriculo vacuo, si novus ingeratur,
concoctio turbabitur, atque similiter cruditates cumula-
buntur.

XXX. Simili modo cibus vel potus *qualitate prima vel
secunda* peccans, ejusdem qualitatis humores producet. Si
namq; alimentum crassum sit, & ad frigiditatem ac siccitatem
accedat, melancholicus, si frigiditate & humiditate nimia præ-
ditum fuerit, pituitosus humor generabitur.

XXXI. Atq; hinc crapula ut infinitis aliis morbis, sic
Incubo materiam & fomentum uberrimum præbet, adeò, ut si
ulla principalis causa dari & effingi possit, hæc una dici merea-
tur. Unde *Ægineta* hoc malum crapulosos & assiduâ cruditate
tentatos invadere; & pinguibus familiarissimum esse, rectè sta-
tuisse videtur.

XXXII. *Somnus* quoque & *vigilia* immoderata corpus afficere & ad hunc affectum proclive & habile reddere possunt. *Vigilia* quidem, quatenus exsiccando humidum radicale absumunt, calorem nativum dissipant, & hinc digestionem corrumpunt. *Somnus* vero, dum per illum naturales evacuationes impediuntur, calor corporis hebetior redditur, pituitosiq; humores coacervantur.

Signa diagn.
tica.

XXXIII. Hic etiam si mox post cibum copiosius sumtum ineatur, non levem huic malo occasionem præbet. Vapores enim tum temporis copiosissime à ventriculo prodeuntes caput petunt, faciliq; negotio hunc affectum procreant.

XXXIV. Eadem ferè est ratio *motus* & *quietis*. *Otium* enim & quies nimia corpus excrementis, quæ non discutuntur, implent, pituitam augent, calorem nativum obtundunt, ciborumq; coctionem & distributionem infeliciorem efficiunt. *Motus* vero, qui modum excedit similiter Spiritus & solidarum partium substantiam exhaurit & per consequens totum corpus refrigerat, coctionemq; impedit.

XXXV. Non minoris momenti sunt *animi pathemata*, tristitia, cura, sollicitudo, quæ ad hanc diathesin p. n. producendam, productamq; fovendam non parum conferunt. Hæc enim humorum in corpore fluxum maturant, vitiant concoctionem, sanguinemq; melancholicum efficiunt & accumulunt.

XXXVI. Deniq; *hemorrhoides*, *menstrua* & alia excrementa p. n. in corpore retenta non difficulter hunc affectum causare, & evaporationibus suis cerebrum non parum perturbare queunt.

XXXVII. Inter causas irritantes merito quoq; decubitus supinus, refertur, quo vasa incalescunt, & vapores humoribus in se contentis congeneres cerebro communicant, qui nervorum principia obstruentes unâ cum motu thoracis respirationi inferviente vocem impediunt & phantasiam visis tristibus conturbant.

XXXVIII. In nonnullis tamen partem orificii ventriculi superiorem, quæ cartilagini *Xyphoidi* situ respondet & crassa

529
crassa pituita, vel humore melancholico, sæpius tamen à pituita comprimì *Heurnio* videtur *Tract. de capitis morbis c. 30.*

XXXIX. Quod autem vigilantibus hoc malum non contingat *Alexander Massarius* duplicem causam ponit; quod nempe vigilans circa phantasmata non ita fallatur ut dormiens. Deinde vapores crassos tempore somni influxum spirituum animalium impediētes per vigilias facile erumpere & discuti posse. Si autem vapores tot & tanti fuerint, ut tempore vigiliarum non possint dissolvi, potius epilepsiam vel apoplexiam, quam Incubum efficere *l. 1. c. 20.*

XL. De Incubo, qui à Dæmone causari creditur, nullam hic mentionem facimus, cum à causis naturalibus ortum suum non ducat; licet non negemus illum ab infensissimo humani generis hoste interdum excitari posse: præsertim si historia illa *Heurnii*, quæ in *tractat. de morbis capit. c. 30.* apud eundem habetur, perpendatur.

XLI. Proprio enim exemplo testatur, se aliquando, dum puer esset, apud matronam quandam optimam cubasse, sibiq; dum illa dormiret visum fuisse virum nigrum ei incumbere. Manè quæsta fuit, se incubone infestatam esse. Ipse autem matronæ de nigro illo viro nihil indicare voluit, quod, si quid protulisset, vir ille sibi minari visus fuerit.

XLII. Post causas, differentia Incubi jam quoque enumerandæ sunt, quæ vel à *duratione*, vel *causa efficiente* vel *subjecto* desumuntur.

XLIII. *Ratione durationis* alius recens est, & facile curationem recipit; alius inveteratus curatu difficilissimus. Plerumque enim epilepsiam, apoplexiam, vel maniam denunciare creditur.

XLIV. *Respectu efficientis* Incubus interdum à sanguine crassiore, sæpius à pituita, plerumq; à melancholia, nonnunquam & a semine provenit; prout nempe vapor ab antecedentibus his causis ortus differt, diversa quoq; & pro natura humoris differentia phantasmata per somnum procreat.

XLV. Tandem & *subjecto* Incubus differt. Vel enim cerebrum primò laborat, adeò, ut non probè alimentum proprium concoquat, sed ex eo plurimi vapores & flatus generentur, & Incubus per essentiam producitur: vel per consensum aliarum partium, ventriculi, testium, lienis &c. caput afficitur, unde Incubus per consensum progeneratur.

Signa diagnostica.

XLVI. Ad *signa* jam progredimur, quæ sunt vel *diagnostica*, vel *Prognostica*. Illorum quædam ipsum affectum, quædam causas, quædam locum affectum, unde vapores exhalaverint nobis manifestant.

XLVII. *Ipsum affectum* ex relatione ægri facile cognoscere licet. Conqueruntur enim ægri, se inter dormiendum ab hoste aliquo invadi & strangulari, aut ab incumbente aliquo onere premi. Imaginationem illam præcedit suffocatio, vocis impotentia, gravitas, immobilitas; cum plurima tandem anxietate, attenuato Spiritu & discusso, atque apertis meatibus repente excitantur. *Aetius. Tetrabil. 2. serm. 2. c. 10.*

XLVIII. *Signa* verò, quæ causam hujus mali antecedentem nobis manifestant, sumuntur à *precedente victus ratione*, corporis constitutione, & phantasmatis specie & colore. Si enim quis ante sæpius victu frigidiore & humidioris usus fuerit, corpus crassum & obesum habeat, & in affectu hoc tempore somni albo phantasmate angatur, indicium est, à pituita malum hoc provenisse.

XLIX. Si verò antea cibum frigidioris & exsiccantem, crassumq; sæpius ingesserit, & temperamenti sit melancholici, adhuc phantasmatis & insomniis tristibus ac nigris afficiatur, à melancholia affectionem illam processisse, indicabitur.

L. Ita ciborum boni quidem, sed crassioris succi crebrior usus, corpus valde plethoricum, imagines rubræ, sanguinem crassioris in causa fuisse indicabunt. Similiter, si phantasmata ad Venerem incitantia apparuerint, à femine Incubum originem traxisse putabis.

¶ *Adem*

529
LI. *Membrum affectum* unde vapores orti sunt, ex symbolis partium affectarum cognoscere licebit. Nocendum enim aliquod membri illius antecessit.

LII. Per *ἰδιοπάθειαν* si evenerit Incubus, sonori præcesserunt in capite flatus, ægri vertigine tentantur, & de capite primum conqueruntur. Sin autem per *συμπάθειαν* inferiorum partium affectus hic inductus est, signa aliqua partium affectarum enitescunt.

LIII. Signis diagnosticis *Prognostica* jam quoque subijciemus, & horum aliqua recensibimus. Est autem Incubus si rarior fiat, levior affectus, gravior tamen vertigine, cum à vapore crasso producat, & dormientem hominem comprimat. *Prognostica.*

LIV. Et licet malum solubile sit, non semper tamen sine periculo salutis invadit; sed teste *Cælio Aureliano*, quosdam interdum interficit præfocatio, ut pueros & obesa corpora. Plerumq; si sæpius incurrat, & gravius premat, sævioris jam jam imminentis mali antea mbulo esse solet.

LV. Ab interna enim causa perseverans, præsertim in ætate provectioribus, aut Epilepsiam nunciat, vapore tandem pravitate & Epilepticam *Ἀγθῆν* acquirente; aut apoplexiam, si meatus cerebri fortius occupet; aut melancholiam, si vapor ater spiritibus commisceatur. *Excell. Dn. Praes. l. 1. Pract. part. 2. c. 29.*

LVI. Mature ergo huic malo occurrendum, hostisque nobis insensibilissimus abigendus, ne in dicta mala nos præcipitate possit. Ab Externa causa refrigerante, vel crapulâ continuatâ minus perniciosus est.

LVII. Qui partim dormienti, partim vigilanti accidit, periculosus quoq; est. Epilepsiam enim magis denunciat.

LVIII. Si post ejus excitationem, sudor frigidus, tremor cordis, aut spasmus, vel syncope eveniat malum lethale censebitur. *Forestus l. 10. Observ. 50. in Schol.* Pessimus quoque est Incubus, qui ab idiopathia cerebri fit. *Heurnius citato loco.*

LIX. Cum ergò Incubus, nisi ei occurratur, in periculofissimos morbos nos deducere queat, hujus curationem quoque annectemus, quæ *Pharmacîa, Cheirurgia & Dieta* perficietur. Ut autem hæc rectè adhiberi queant *Methodi* medendi instrumentis, nempe *Indicationibus* utemur, quæ nobis hoc loco duces erunt, & quâ viâ incedere debeamus, patefacient.

Indicationes.

LX. Cum vero triplex detur *Indicatio, Præservatoria, Curatoria & Vitalis.* Prior causas Incubi Procatarcticas vitandas; antecedentes, qualitate peccantes, alterandas, quantitate molestas, imminuendas, substantia tota infestas excludendas esse docet.

LXI. *Altera* Causam continentem respicit, & obstructionem solvendam, vaporem discutiendum, intemperiemq; si quæ adlit, contrario suo emendandam & alterandam esse jubet.

LXII. *Ultima* tandem *Vitalis* dicta vires & robur partium affectarum, unde vapor crassus egreditur, conservandū, debilitatumque roborantibus appropriatis reficiendum esse suadet.

Curatio.

LXIII. Sed cum in ipso paroxysmo, propter celerimum mali hujus motum, omnia hæc indicata exequi non liceat, & noctu per somnum vix ab alio, quam ab ipso met homine, qui illud sustinet, malum hoc observetur, ne æger auxilio planè destitutus relinquatur, qui ipsi adstiterit, & ex ejulatu & in articulata voce symptoma hoc præsens esse animadvertit, ægrum blande excitet compellatione nominis & vellicatione corporis, & ad revellendos à capite vapores crura & brachia illius liget, frictionibusq; asperioribus divexet.

LXIV. Hinc ægro excitato, ne malum redeat, indicata enumerata ordine in effectum deduci poterunt. Et cum primum Indicans Præservatorium causas procatarcticas vitare jubeat, huic satis faciemus, si diætam causis hujus symptomaticis repugnantem, & vires conservantem præscribemus.

65. Deinde

LXV. Deinde causas antecedentes aggrediemur, & cum illarum hoc in affectu præcipua sint *Sanguis crassior, pituita & melancholia*, istas secundum indicationes enumeratas ita tollemus.

LXVI. Si à *Sanguine crassiore*, quantitate etiam peccante vapor ille obstruens provenerit, sanguinis illa crassities attenuanda, & copia imminuenda erit. Attenuabitur autem & præparabitur decocto *fumarie, lupulor. ceterachi, capill. Veneris, borrag. flor. cordial, sebesten.* Sympo de *cubor. de byzant. Heurnius citato loco.* Imminuetur inserviente cheirurgia per venæsectionem.

LXVII. Aperietur autem vel *Cephalica* vel *Epatica*. In mulieribus ex mensium suppressione laborantibus *Saphena* secetur; quæ etiam in viris, post evacuationem per venæsectionem in cubito factam, ad revulsionem aperiri potest. Si phlebotomiâ uti non liceat, cucurbitulæ cruribus & scapulis applicentur.

LXVIII. Si à *pituita* vapor exhalaverit, & in ventriculo hæreat, ægerq; ad vomitum proclivis sit; vomitum scientia adhiberi debent, materiaq; illa per superiora ejicienda est.

LXIX. Si vero humor hic altius insiderit præparandus est, & per inferiora expurgandus: Prius fiet per attenuantia & calefacientia, qualia sunt. *Calamintba, thymus, chamædrys, melissa, anisum, betonica, enula, sem. citreor. macis, nux myristica, hyssopus, marrubium, Syrup. stoechad. mentha, absinthij, &c.*

LXX. Posterius *diaphanico, diacarthamo, diaturbith* cum *rhabarb. Electuar. Indo, pilul. de agarico, & cocciis* perficietur.

LXXI. Tandem si *melancholicus humor* in corpore p. n. abundans hunc affectum produxerit, quoque vel vomitu vel purgatione ejiciendus. Vomitus enim hic sæpissimè utilissimus in asveris, & ubi malum jam longius processit, atque ventriculum occupavit. Hæc enim viâ excrementitia materia in ventriculo, & vicinis visceribus collecta, commodè evacuari potest.

72. Si

LXXII. Si verò difficultas vomendi hoc prohibeat, præparandus erit ille humor molliter incidentibus, & attenuantibus, ac humectantibus, ceu sunt, *rad. fœniculi, asparag. eryngii, althææ, bugloss. borrag. cichor. polypod. querni.* Herbar. *viol. parietar. malv. mercurial. ceterach. linguae cervinae.* Flor. *borrag. bugloss. viol. genistæ.* Sem. *anisi. fœniculi &c.* Ol. *chamamel. viol. fœniculi.* Electuaria. *lenitiv. diacathol. cassia extracta &c.* ex quibus variae remediorum formulæ parari possunt, Potiones inprimis & Clysteres.

LXXIII. Hinc materia præparata excludatur *Sena, Epithymo, myrobalanis, diacatholico & hamech. cum decocto melisse, pitul. de fumaria &c.* Sæpiusq; per intervalla purgatio repetatur, ne in alium affectum hoc malum transeat.

LXXIV. Indicanti Præservatorio hoc modo satisfacto, *Curatorium* quoque adhibebimus, quod causæ continentis ablationem postulat. Hæc cum in hoc affectu vapor crassus sit quodammodo principium nervorum obstruens, is è cerebro relegandus, & medicamentis flatus discutientibus ejiciendus erit.

LXXV. Huic autem indicanti satisfieri poterit, si semina *anisi. fœniculi, carvi, ammeos, cymini, petroselini, apij, radix zedoaria, crocus &c.* in certâ medicamenti formam redacta adhibeantur. *Heunr. l. 2. Methodi. ad Prax. c. 26.* Inprimis Errhina, sternutatoria & apophlegmatismi illi usurpentur, qui ab *Excell. Dn. Præsidel. l. 1. Prax. part. 1. c. 10. & ibidem part. 2. c. 31. p. 632.* describuntur.

LXXVI. Propriis autem caput purgantibus utemur non in quovis Incubo, sed in eo, in quo vapor generatur in capite. *Ratione pituitæ à Feresto* maximè commendatur decoctum *ligni Guajaci cum decocto Pœoniae* exhibitum *l. 10. Observ. 50. in schol.*

LXXVII. Hujus generosi medicamenti usum quoq; extollit *Vidus Vidius*, & potissimum eo utendum esse, cum pituitosi homines frequenter incubo infestentur, & jam suspensio sit, ne malum hoc post breve tempus in morbum comitialem commutetur, autor est *l. 2. cap. 29. de curat. membratim.*

533
LXXVIII. Ad tertium demq; indicans, *Vitale* nempe, progredimur, quo & *mandantium* & *recipientium partium* rationem habendam, hasq; roborantibus & confortantibus pristino vigori restituendas esse admonemur.

LXXIX. Inter *mandantes* partes ventriculus, epar, vasa chylum ad epar deferentia, aut alia esse possunt, quæ ita roborandæ & confortandæ sunt, ne vapor ab illis prodiens cerebro communicari, & amplius hoc symptoma causare queat.

LXXX. Inter illas autem partes, cum plerumq; Ventriculo mali hujus fomes inhæreat, & ab illius intemperie causa antecedens sæpius proveniat, intemperie ventriculi alteratâ, & causâ illâ expulsâ, appropriatis medicamentis confortandus & vapores caput petentes inhibendi sunt.

LXXXI. Inhiberi autem poterunt, si ægro *diacyconium*, aut pulvis ex *coriandro præp. semine anisi, galanga, nuce moschata cum sacchar. rosat. tabulato* paratus post cœnam sumtam exhibeatur. Plura vaporum adscensum prohibentia, vide apud *Excell. Dn. Præsidentem l. 1. præct. part. 2. c. 29.*

LXXXII. Quod partes *recipientes* attinet, *cerebro* quoque & *Cordi* appropriatis medicamentis prospiciendum, ne recipiendis exhalationibus idonea maneant, & ad Incubum producendum occasionem aliquam præbeant.

LXXXIII. *Cordi* ergo & pulsum regioni sacculi cordiales, & arteriales passim noti, *aqua rosar. meliss. & similibus* madidi imponantur, ut pristinum robur nancisci, & munia consueta rectè obire queat.

LXXXIV. Præcipuè verò *cerebrum* attendendum, & causa continente sublata, intemperieq; frigidâ, si adsit, alterata, totâ substantiâ amicis remediis roborandum est. Inter quæ *semina Pœonia*, Aetii experimentum hoc in affectu facillè primas tenent, adeò, ut *Franciscus Hildesheim de cerebri & capitis morbis internis spicileg. 4 p. 442.* omnibus tribus modo enumeratis indicatis illa satisfacere dicat.

LXXXV. Sua enim caliditate & tenuitate vapores discutere, eodem calore intemperiem frigidam capitis vel ventricu-

triculi removere, totâq; substantiâ cerebro semina ista adeo amica esse putat, ut horum ratione cerebri vis tam valida evadat, ut vapores noxios à se arcere, & homo ab Incubo præservari queat.

LXXXVI. Horum autem feminum 15 grana trita cum aqua potu, continuò sumenda sunt, donec æger sanetur. Inter alia *Electuarium illud*, quod *Pleres arconticum* inscribitur, cum *confectione Alkermes* sive cum *diambra* permixtum, ad propulsandum hujusmodi affectum, plurimum conducere, si ejus usus & manè & hora decubitus per plures dies continuetur, observavit *Vidus Vid.* citato loco.

LXXXVII. *Anisum* quoq; pulvinis inspersum pavores in somniis prohibere creditur. Commendatur & *Lupina pellis*, super quam si ægri dormiant, inter dormiendum ab hoc affectu tuti redduntur.

LXXXVIII. A Chymicis tinctura & magisterium *coraller. perlar. lapid. armeni, lazuli, Chrysolithi, malachite.* Ol. *roris marini, salvia, ruta, succini, chamameli, cinamomi, Extractum pæonia, visci querni, juniperi* extolluntur. *Excell. Dn. Præses loco citato.*

Diæta.
LXXXIX. Postremo loco paucissimis *Diæta* quoq; observanda venit, quæ hoc in affectu plurimum valet, & in omnibus tribus Indicationibus locum habet. Conveniens enim victus ratio causæ morbificæ contrariatur, ac ne nova generetur, prohibet, simulq; vires & naturam egregie reficit & conservat, ita ut *Alexander Massarias citato loco*, dicat, hoc in affectu ad curationem, nisi morbus fuerit gravissimus, solam plerumq; diætam satisfacere.

XC. Consistit autem hæc in legitimo sex rerum non naturalium usu. Inter quas primò vitetur *aer* tetrus vaporibus inquinatus, fugiat æger *Solis æstum, Lunæ radios, gelu, ventum, ignem, fumum, locumq;* in quo vivat mediocriter calidum & siccum eligat.

XCI. Deinde ab *Ebrietate & satietate, cibis crassis, frigidis, terrenis ac melancholicis* abstineat. Victu quantitate tenui & parco, qualitate calido & sicco, flatusq; ex sorte utatur, qui facilè concoqui nec obstructions parere possit.

539
XCII. Si malum à sanguine fuerit, dehortandus est æger à dulcium ciborum usu, & à vini potu. Hæc enim sanguinis copiam suggerunt. Si à pituita enatum sit, cibi byssopo, serpillio, satureja condiantur. Si deniq; à melancholia oriatur, flores buglossi, borraginis &c. & quæ illam temperant admisceri poterunt.

XCIII. Non comedat nisi latrante stomacho; prandiū sit moderatum, sed cæna adhuc longè parcior. In potu satius est à vino abstinere, cum caput repleat, & ejus loco cerevisia tenuis, aut aqua, in qua semen coriandri, anisi & cinamomum ebullierit, exhibeatur. Si tamen æger avidissimè vinum appetat, & hoc vitare nolit, album, tenue, & aquâ dilutum moderatè concedatur.

XCIV. In ultima mensa adstringentibus cibis utatur, nec lectum accedat, nisi tribus horis à cæna elapsis. Ita enim cibus in imum ventrem dilabetur, nec vapores adeò facilè in caput sese insinuare poterunt.

XCV. Inter cætera æger maximam somni rationem habeat, nec supinus dormiat. Hæc enim forma decubitus homines ad malas ægritudines, apoplexiam, paralyfin & incudum deducere potest. Superfluitates enim cerebri ad posteriora declinant, nec per suos canales naturales, qui sunt à parte anteriore, ut palatum, os, nares, incedunt. Avicenn. l. 1. Fen. 3. doctr. 2. c. 9.

XCVI. Vitet quoq; nimium somnum & nimias vigiliæ, circa lectum ruta, thymus, pæonia radix, lavendula, majorana, rosmarinus, pulegium, mentha suspendatur. Dormienti ægro semper etiam aliquis adsit, ut, si fortè malum hoc redeat, lente excitetur.

XCVII. Motum corporis quod attinet, is nec in excessu, nec in defectu peccet, sed sit moderatus. Frictiones sæpè instituantur, & à scapulis, ac thorace incipiendo, in crura pedesque procedendo, caput postremò fricetur.

XCVIII. Deniq; animi *ωαγήματα*, tristitiam, curam, sollicitudinem æger fugiat, Venereas cogitationes animo pellat, omnesq; excretiones naturales, si natura in expellendo se segnem exhibeat, ita promoveat, ne aliquid damni ex retentione illa provenire, & denuò ad invadendum, huic malo occasio dari possit.

XCIK. His ergo omnibus jam præscriptis, si hoc affectu detenti se obediens præbuerint, facile à malo hoc liberari, & citra difficultatem pristinae sanitati restitui poterint.

C. Et his dissertationem hanc meam, de symptomate illo nulli ferè mortalium ignoto, concludam. Quod si verò alicubi veritatis cancellos transgressus fuisse videar, non adeò rigidos Catones me inventurum spero, qui peccata illa digitis metientur. Notum enim, cuius hominum hæredum suum erroris esse, & felicem illum habendum, qui minimo detinetur.

Ad Præstantissimum ac Literatissimum Dn. Respondentem, Amicum & Contubernalem suum dilectum,

Hem quid fata ferunt, doctæ ô Henninge quid audes?
 Tibi sibus ecce tuis perstringere nempe videris
 Pigritia deditas famulas somnoq; profundo,
 Quâ sibi nescio quod spectrum mirabile visu
 In somnis fingunt, immensi corporis instar
 Mole gravans corpus noctu quasi suffocet ipsas.
 Cur ridenda fiet Vetularum fabula talis,
 Tu non immeritò causas Henninge recenseres,
 Ausis ergò tuis adsit supremus JOVA.
 Enodare aliis ita perge Hippocratis artes
 Ut fias ore decus immortalis paternæ.

scribebat

Zacharias Polnerus Uratisl.
 Medic. Studiosus.

F I N I S.